

SS 2025 Lat. Lektüre-Übung: Seneca, *De tranquillitate animi* TEXT 3 (Karanasiou)

<https://www.thelatinlibrary.com/sen/sen.tranq.shtml>

vii 4 Itaque, ut in pestilentia curandum est ne correptis iam corporibus et morbo flagrantibus assideamus, quia pericula trahemus afflatuque ipso laborabimus, ita in amicorum legendis ingenii dabimus operam ut quam minime inquinatos assumamus: initium morbi est aegris sana miscere. Nec hoc praeceperim tibi, ut neminem nisi sapientem sequaris aut attrahas: ubi enim istum inuenies, quem tot saeculis quaerimus? Pro optimo est minime malus.

vii 5 Vix tibi esset facultas dilectus felioris, si inter Platonas et Xenophontas et illum Socratici fetus prouentum bonos quaereres, aut si tibi potestas Catoniana fieret actatis, quae plerosque dignos tulit qui Catonis saeculo nascerentur (sicut multos peiores quam umquam alias maximorumque molitores scelerum; utraque enim turba opus erat, ut Cato posset intellegi: habere debuit et bonos, quibus se approbaret, et malos, in quibus uim suam experiretur). Nunc uero, in tanta bonorum egestate, minus fastidiosa fiat electio.

6 Praecipue tamen uitentur tristes et omnia deplorantes, quibus nulla non causa in querellas placet. Constat illi licet fides et benevolentia, tranquillitati tamen inimicus est comes perturbatus et omnia gemens.